



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Petri Ioannis Perpiniani Valentini, Societatis Iesv
Presbyteri. Orationes Dvodeviginti**

Perpiña, Pedro Juan

Lvgdvni, 1622

Tertia est primus liber laudationis in B. Elisabetham Lusitaniae reginam,
quàm habuit Conimbricae, IV. Non. Iulij, anno 1556.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13368

80 *Laudationis in B. Elisabetham.*
te perpetuò laudet ac prædicet, cuius expe-
periatur lenitatem & clementiam.

PETRI IOANNIS

PERPINIANI,

*Laudationis in B. Elisabetham Lusita-
nia Reginam.*

LIBER I.

ORATIO III.

Tres hæc orationes, tribus deinceps annis,
facio B. ELISABETHÆ die, Conimbricæ
in Lusitania habuit adolescens.



Vantam hodierna dies lætitiã
atque voluptatem hic tam fre-
quens summorum hominum
conuentus factus non ad obi-
tum, neque ad tristem è vita
discessum Elisabethæ sanctissimæ reginæ
deplorandum, sed ad diem natalem ac feli-
cem eius introitum in vitam illam beatam
& æternam, si minus debitis tantæ virtuti
laudibus exornandum, certè iustis ac ne-
cessariis officiis prosequendum nobis om-
nibus afferre debeat (viri ornatissimi) ipsa
illa sacra declarant, quæ hac luce multis
Lusi

Lusitaniæ partibus, magna cum cæremonia religionéque celebrantur. Quanta sapientia ac pietate Rex omnium literis & monumentis decorandus, quem tanto gemitu superioribus diebus amisimus, instituerit, ut ad veterem illam & sanctissimam celebritatem factorum à summo Pontifice precibus ipsius & diligentia constitutam, hæc alia nova celebritas orationum & carminum accedat, nemo est qui non videat, nemo qui non intelligat, quam copiosos magnosque fructus ex ea re percipere possint omnibus annis non solum adulescentes expertes adhuc magnarum artium, sed etiam senes doctrinis omnibus humanitatis expoliti, sciunt, qui de præclaris aliorum factis prædicationes magna hominibus & periculorum incitamenta & laborum esse, si minus à magistro, certè (quod maximum est) re atque usu ipso didicerunt. Quod si, quantum hæc lux, antiqua sanctissimæ reginæ religione consecrata iucunditatis & delectationis habet, aut quantum Rex inclytus ad decernendum pietatis attulit & prudentiæ, aut quanta huiusce rei utilitates esse possunt, tam magnificentum ego, tamque præclarum genus orationis in me, in vobis verò par meæ facultati studium & audiendi voluntatem esse

cerem, ferrem, magno & excelso animo, vincto
 ornatissimi, hoc onus meis primum humeris
 impositum, neque huius aditum loci ve
 stramque frequentiam, & grauissimum con
 spectum mihi magnopere metuendum pu
 tarem. Quamquam non mihi venit in du
 bium vester singularis animus ad Elisabe
 thæ reginæ laudes audiendas, & alacritas,
 quorum eximia religio, & aduersus celestes
 omnes amor ac reuerentia, multis in rebus
 cognita sæpe, atque perspecta est: de inge
 nio & oratione mea, vt tam multa & egre
 gia facta, tam diuinam vitam & admirabi
 lem, tantam rerum maximarum varietatem
 animo complecti, memoria sepire, verbis ex
 plicare possim, vt omnia mihi digna re, di
 gna huius auctoritate loci, digna hoc ani
 morum ardore, digna vestris auribus & sa
 pientia, digna denique studio meo suppetat,
 id verò non mediocriter pertimesco: accedit
 ad hunc timorẽ, quẽ mihi conscientia mea
 tenuitatis attribuit & verborum inopia, hæc
 æstiuæ temporis molestia summa, quæ no
 stros animos erectos & alacres ita debilitat
 & frangit, vt etiam si vos humanitas vestra
 cogat audire, non possitis: quò mihi magis
 prouidendum est, qui vestras mentes in di
 cendo voluptate aliqua teneam, ne si forte
 huius tanti caloris molestia, quasi nausea
 delecta

delectationem audiendi superarit, ante domum prospectantes, fugam ex his concionis fluctibus exploratis, quam nos in altum pro- uecti remis, orationis vestrae vela panda- mus: quod nisi tantis incommodis magni- tudo rerum ab Elisabetha regina gestarum, & eius vitae summus splendor subueniret, cederem ex hoc loco, viri ornatissimi, neque in cœtu doctissimorum hominum, atque in tanto vtriusque Academiae splendore, locum vllum orationi meae fractae & debili- ratae esse iudicarem: sed laudanda est regi- na Lusitaniae & ea regina, quae in nume- rum recepta Sanctorum, nescias, vtrum societate multarum rerum plus in animis hominum exciter benevolentiae, ac mo- rum sanctimonia singularibusque factis, admirationis. Quae nulla quidem bella for- titer gessit, sed multa Christianorum re- gum, & principum intestina sapientissime restinxit: non armata in campo atque acie versata est, vt de multis faeminis stultae fa- bulae poëtarum prodiderunt, sed inermis obiecit se militum telis & furori, & in me- dia arma penetravit, vt vel sua morte diri- meret infestas acies & obstrueret suo cor- pore hinc filio iuueniliter efferuescenti ad patrem, hinc regi nimis iracundè resistenti ad filium, aditum, & vtriusque tela à caede

misera & luctuosa contineret: non ferro vi-
 tam & spiritum multis hostibus eripuit, sed
 incredibili animi robore, suam ipsa saepe
 contempsit, vt multorum salutem posset
 conseruare. Quæ vt illis parua & contem-
 nenda videantur, qui nihil magnum, nihil il-
 lustre putant, nihil memorabile quod non
 ferro atque tumultu gestum sit, & si quid
 mansuetè, si quid moderatè, si quid iustè, si
 quid sapièter factum est, pro nihilo ducunt,
 solas virtutes militares admirantur, apud
 vos certè, viri ornatissimi, plurimum valere
 debent, in quorum incredibilem sapientiam
 hic tantus error cadere nullo modo potest,
 vt virtutum magnitudinem & dignitatem,
 ex armorum & tormentorum strepitu; at-
 que ex furore militari ponderetis. Quod
 si vos etiam in eam estis adducti senten-
 tiam, vt nihil esse præclarum existimetis
 nisi quod obstrepi clamore militum videat-
 ur, & tubarum sono, exacuite atque con-
 tendite mihi paulisper mentis aciem, & eo-
 rum hostium vim & naturam intuemini,
 quos illa sine ferro profligauit atque con-
 fecit: sic credo statuetis omnia ista bella
 grauissima quæ magni reges & imperato-
 res, & potentissimi populi gesserunt ludum
 esse atque iocum, illud vnum esse difficile
 periculosumque bellum, quod Elisabetha

regi

reginae, quod Petris, quod Paulis, quod caeteris, non fide solum, sed etiam vita Christianis, cum rerum humanarum inconstantia & varietate, cum effrenatis cupiditatibus, cum acerrimis ducibus atque signiferis hostium humani generis atrocissimum fuit atque diuturnum: non enim solum cum Barbaris, ferocibusque gentibus res erat, sed cum illo terribissimo dracone, cuius infinita sitis hominum stragibus insaturabiliter expletur, cuius furori nullae vires nisi diuinis confirmatae praesidiis resistere possunt, cuius calliditati versutisque fraudibus, nullius hominis, nisi diuina lux accedat, sapientia & consilium inuenitur, & cum illa crudelissima bellua, quam ne illi quidem unquam superare potuerunt, qui suis armis orbem terrarum omnium sub ditionem potestatemque suam subiecerunt. Ac corpus quidem nudum atque inerme, sed animum tamen caelestibus armis cuiusque modi gerebant armatum, & cum victi prostratique esse videbantur, tum ipsi victores triumphum de profligatis hostibus agebant, vibrabant tamquam acutissimos quosdam diuinæ doctrinae gladios, ut clypeum, sic fidem hostium telis opponebant, Christi memoriâ fiduciaque quasi galeam muniti erant, fulgebat lata & insignis lorica iustitiae dictorum factorumque;

constantiâ, & veritate non aliter, ac baltheo
cingebantur: stabant & manebant in qua-
dam quasi precationum assiduarum vigilia,
neque vsquam discedebant, neque oculos à
sua cæterorumque salute deiciebant. itaque
diabolo terrorem ineutiebant, excitabant
exemplo fortitudinis socios commilitonés-
que suos, propagabant religionis fines, ra-
piebant in summam admirationem reges &
tyrannos, angelis atque ipsi Deo pulcherri-
mum ac iucundissimum spectaculum præ-
bebant: in hoc bello quàm strenuè beata
Elisabetha rem gesserit, quæ facinora edide-
rit, quas victorias reportarit, quid me atti-
net hoc loco dicere? vos ipsi, viri ornatissi-
mi ex iis quæ dicemus facile perspicietis.
Mihi verò in tanta rerum præstantissima-
rum luce, in tam incredibili copia egregiè
factorum, in hac pulchritudine virtutum
excellentium, verendum non est ne vel in-
fantia meæ ad dicendum oratio, vel animus
vobis & studiū deesse videatur ad audiendū.
Sento hanc primam ingressionem meam, à
communi more dicendi abhorrentem, non è
Rhetorum officinis & artibus ductam, sed ex
intimis religionis Christianæ thesauris, at-
que è S. Pauli sententiis repetitam, nonni-
hil vobis admirationis attulisse. Desinite de-
sinite mirari, viri ornatissimi, hoc celebri-
tas

ras hodierna postulat, hoc animi vestri pie-
 ras requirit, hoc causæ magnitudo & splen-
 dor efflagitat. Nouus & ante hunc diem inu-
 sitatus cōuentus, nouum auditorum genus,
 noua res, non peruagatam illam atque con-
 tritam, sed nouam quandam & inauditam
 dicendi rationem desiderat. Faceffant hinc
 oratorum disputationes atque doctrinæ, si-
 leant præcepta sophistarum, laudationū ve-
 teres & in scholis decantatæ leges delean-
 tur: dominantur illæ quidem in rebus hu-
 manis efferendis, iaceant in iis, quæ diuini-
 tūs à sanctissimis viris gesta sunt, comme-
 morandis: valeant in concione multitudi-
 nis imperitæ, in prudentissimorum homi-
 num cœtu repudientur: quid enim illæ iu-
 bent? commēdari patriam, exornari genus,
 augeri oratione opes, amplificari diuitas,
 commemorari staturam corporis & vires,
 laudari præstantiam dignitatēque formæ,
 illustrari celeritatē ingenij, memoriæ vim,
 mentis diuinitatem, nihil præteriri volunt,
 quod vel à fortuna, vt vulg^o hominū loqui-
 tur, vel à natura donatum esse videatur. At
 ista & apud eos cōmemorare, qui nihili esse
 facienda iudicāt propter sapientiā, stultitiæ
 non ferendæ, & in eorum laude ponere, qui
 propter virtutem & altitudinē animi con-
 tempserunt, aut etiam abiecerunt, singu-

laris cuiusdā amentiaē putandum est. Equidem semper illam eloquentissimi hominis Lucij Crassi vocem sapientissimam existimaui, qui censor audiente populo Romano dicere non dubitavit quæ non essent in nostra manu posita, iis se inferiorē esse, quàm alios non magnoperè dolere; quarum rerum potestas omnis, in nobis sita esset, & quæ hominū studio, industria, labore comparerentur, in iis superari se à quodam & vicini, nullo modo posse æquo animo pati: in illis multos habere superiores non turpe ducebat; in his non omnibus antecellere aut certè parē esse, summum flagitium arbitrabatur. Quod si superstitionibus innumeris implicati homines, quibus diuina lux nondum erat oborta veritatis, hoc modo fuerunt animati, vt istarum rerum abundantiam nullo modo numerarent, nos, Christi Opt. Max. discipuli, alumni veritatis, quibus diuinæ naturæ splendor affulsit, quo tandem animo esse debemus? commendent alij feracitatem Aragoniæ tuæ patriæ, æquitas agrorum planities depingant, altitudinem montium, fluuiorum opportunitates, opidorum frequentiam, Cæsaraugustæ celebritatem & copias, colligant res à maioribus tuis bello gestas, opum maximarum potentiam, fortunæ abundantiam, formæ

vedu

venustatem; cæteras omnes res huiusce ge-
 neris accumulent, ethnicorum hominum,
 aut vt verius dicã, ne ethnicorum quidem,
 sed stultorum est ista laudatio. Ego verò,
 sanctissima regina, non quòd in Atagonia
 nata es, omnium rerum copiis affluente, fe-
 licem te ac beatam prædico, sed quòd in
 illam cœli regionem omnium hominum
 parentem peruenisti: non quòd in iisdem
 locis sanctus antè Laurentius, ille summi
 animi martyr, in iisdem sanctus Vincētius,
 egregiã constantiã iuuenis, & incredibili
 animirobore septus, in iisdem alij permul-
 ti religione & accerbissimorum cruciatuum
 patientiã insignes extiterunt; non denique
 quòd omnes olim Cæsaraugustæ anguli,
 sanctissimorum hominum sanguine redun-
 darunt: sed quod eadem fuit tuæ rationis
 regio atque via, & maximorum virorum
 sectam & instituta fœmina persecuta es: nisi
 quòd illi à quibus cruciarentur habuerunt;
 tu eòdem sine corporis cruciatu perueni-
 sti, quòd illi, summis doloribus perferendis
 peruenierunt: non quòd Aragoniæ, Vnga-
 riæque regū generosã & antiquã stirpe or-
 ta, sed quòd in illud sacrum & illustre bea-
 torum animorum cõcilium, cœtúmque ad-
 uocata & recepta es: non quòd auus tuus
 Iacobus Aragoniæ rex multis egregiisque

laudibus percelebratus, Maurorum fregit
audaciam & furorem, Baleares insulas re-
cepit, Valentiam totumque regnum illud
recuperavit, & tantam eorum rebus plagam
imposuit, quantam illi nullus umquam re-
mediis sanare potuerunt: nec quod eius fi-
lius hæresque regni Petrus pater tuus, eas
res gessit armatus, de quibus usque in extre-
mas oras Lusitaniæ fama permanuit: sed
quod in alio pugnae genere longè dissimili
& armorum eorum famam & facinora præ-
clara superasti: ad extremum non quod ipse
ille avus tuus eam adhibuit erga Deum re-
uerentiam & pietatem, ut S. Mariæ Virgi-
nis, matrisque Christi servatoris colloquii,
in hac custodia corporis inclusus, sit di-
gnus iudicatus; nec quod magna illa mater-
tera tua Elisabetha, regis Vngariæ filia, vitæ
integritate, bonitate, beneficentia, non so-
lùm ab illo rerum pariete Deo maxima præ-
mia, sed etiam laudè ab omnibus gentibus
singularem & gloriam adeptæ est: sed quod
facta eorum virtutis æmula, alteram sancti-
tate vicisse, alteram ipsius vestigiis videris
consecuta: opibus potens, verùm comitate
& facillitate clarior; florens diuitis, sed om-
nium virtutum iucundissimis floribus insi-
gnior; facie liberali & honesta, sed probi-
tate & verecundia virginali pulchrior; om-
nibus

nibus
tis, &
verba
natis
atteta
ves de
pradi
modè
lis inu
stus n
gam e
reliqu
servat
laudi
bus g
tutis
nunc
cogn
maxi
laudi
nascè
tater
defui
solid
inuo
li; nō
to; p
appa
eslet

nibus rebus nobilis, sed propriis ornamentis, & tuis te ipsa nobilior; de quibus dum verba facio, peto à vobis & precor viri ornatissimi, ut aures mihi vestras patientes & attentas accommodetis: sic enim existimate, vos de virtutibus divinis, de rebus maximè prædicabilibus & admirandis, de factis non modò nostris, verùm etiam omnibus sæculis inusitatis, audituros. Ego ne sim molestus nobilissimæ concioni, ea tantùm attingam quæ vel antè nuptias, vel nupta fecit: reliquum omne tempus integrum illis reseruabo, qui post me proximis annis sunt de laudibus eius verba facturi. Atque (ut quibus gradibus olim eius ætas ad summam virtutis & officij perfectionem ascendit, iisdem nunc oratio nostra crescat, & vos principiis cognitis, reliqua faciliùs intelligatis) quod maximis viris accidit, qui aliquo genere laudis floruerunt, ut insolita & noua ratio nascèdi futuram eorum gloriam & nobilitatem ostenderet, id Elisabethæ reginæ non defuit, quæ princeps in omni genere veræ solidæq; laudis erat futura. Membranâ quadam inuoluta nata est, nō caput, nō os; aut oculi; nō manus, non pedes, non reliquæ partes corporis, vestigia tantùm quædam earum apparebant, quæ cum diuisa atque disrupta esset, ex illa innolucris & integumentis

menti quasi custodia sacra illa puella, quæ
 magnum patriis, auitisque regnis, & vniuer-
 sæ Lusitaniæ decus atque lumen erat alla-
 tura: hinc ad diuinum fontem baptismatis
 defertur, aquâ salutarî tingitur, nomen im-
 ponitur Elisabethæ. Fuerat per id temporis
 Elisabetha regis Vngariæ filia, matertera
 Petri regis Aragoniæ, huiusce diuinæ puellæ
 patris, cuius religionē, eximiam & pietatem,
 integritatem, rerum humanarum despicien-
 tiam, cœlestium studium & amorem, cle-
 mentiã, benignitatem, cæteraque pulcherri-
 ma virtutū ornamenta testantur illæ solen-
 nes preces atque cæremoniæ, quæ ante
 diem duodecimum Kalen. Nouemb. sunt ad
 eius laudem celebrandam institutæ: huius
 sanctissimæ fœminæ nomen parètes & auus
 Iacobus recens natam puellulam habere
 voluerunt, humano quodam fortasse sensu
 propinquitatis & cognationis adducti: sed
 recondita & astrusa Dei sapientia iam tum
 id agebat & moliebatur, vt cuius erat adul-
 ta consecutura virtutem, probitatem, san-
 ctitatem, eius etiam nomen, in illa incantis
 ætatis imbecillitate, sortiretur. Etenim qui
 reluctantibus propinquis omnibus, multò
 antè perfecit, ne nomen aliud, quàm con-
 stitutum esset, Ioanni tribueretur, idem,
 Petrum & constantiam puellæ parèntes, &
 Iacobum

Iacobum auum in eam impulisse mentem, putandus est; vt illud nomen ei facerent, quod eius mores deceret, & maximè futuræ magnitudini virtutis atque laudis conueniret. Vix Elisabetha primæ illius ætatis crepundia deposuerat, cùm Iacobus auus, non minore vitæ rectæ laude, quàm potentiâ rex, domum abductam, vnam ex omnibus Petri liberis apud se voluit esse, ibi quantâ educata diligentiâ, quibus moribus imbuta, quibus verbis, sententiis, opinionibus, ad religionem Christianam & honestatem informata sit, vt ipse non dicam, vos ipsi, viri ornatissimi, assequi potestis coniectura. Nam neque ab impio aliquo & improbo, nisi impiè & improbè, neque à tam diuino homine, qui res maximas cœlestibus magis auxiliis, quàm humanis opibus gesserat, cuius pietatem erga Deum, erga suos māsuetudinem & clementiam admiratæ gentes, eum tãquam è cœlo delapsum hominem intuebantur, cuius salutem exercitus ipsi cœlestes, formidine hostibus immissa, tuebãtur, nisi diuinè institui atque erudiri potuisse credendum est. Quòd si tantã vim educationis atque illius institutionis puerilis esse cognouimus, vt etiam vitia quædam corporis magistrorum discipuli multi expressisse memorentur: quantam Elisabetha virtutem imitan-

do consecuta fit, quæ nihil umquam viderit in illo tam excellenti viro, nisi magnum, nisi laudabile, nisi diuinum, etiam si ego si-
leam], res ipsa quodammodo tacita loquitur & clamat. Sanctum illum Athanasium accerrimum nostræ religionis propugnato-
rem, memoriæ proditum est, cum eruditus esset ab Alexandro sanctissimo Episcopo (cuius animus & singularis virtus & sapien-
tia in illa grauissima cum Arianis & diffi-
cillima contentione vehementer enituit) sic illum in omni vita magistri ardorem ef-
fixisse, vt nullis minis umquam, nullis la-
boribus, nullis periculis, nullis insidiis po-
tuerit à defendenda veritate deterreri. Sic
Elisabetha in clarissima sanctissimæ disci-
plinæ luce ab ætatis initio versata, nullâ
malorum morum, nullâ errorum prauitate
corrupta, ita religionem & sanctitatem aui
præstantissimi regis assecuta est vt eâ homi-
nes cum viderent, non se neptem videre,
sed quamdam eius effigiem; non hominum
manibus, sed imitationis ardore; non sta-
tuariorum ingenio & artificio, sed studio
ipsius & diligentiam expressam arbitrarentur.
Eminēbat iam tum atque apparebat in illis
teneris annis, maior quædam ad virtutem
iades & ipsi illi simplices mores illius
ætatis iam satis significabāt quæ sanctitatis
effect

effect
nibus
affere
& pru
dum
& on
incre
apud
specta
rat, ta
tissim
suau
potu
quod
sape
guine
discip
femin
gonia
nonu
eius a
segre
vitan
succe
domi
sape
eius
strict
eiicit

esset futura maturitas, & spem magnā omnibus summæ sapientiæ, summæ probitatis afferebant: mirabantur tantam grauitatem & prudentiam, tantum rerum omnium modum prædicabant, facilitatē & modestiam, & omnes iuuandi ac subleuandi studium incredibili beneuolentia complectabantur: apud regem quidem Iacobum propter expectationem, quam de se summā concitabat, tanto in amore erat, quantus indulgentissimi aui simul & integerrimi erga neptem suauissimis, amabilissimisque moribus esse potuit; tantò verò in honore ac pretio, vt quodam quasi rerum futurarum augurio, sæpe dicere soleret illam suam neptem sanguine, alumnam educatione, institutione disciplina fore decus aliquando ac lumen feminarum omnium quæ vnquam ex Aragoniæ nobilissima domo extitissent. Iam nonum agebat annum Elisabetha, moritur eius auus, & illa virtus immortalitate digna segregata ab hac concretionem mortali, ad vitam illam sempiternam & beatam euolat: succedit patri suo Petrus rex, filiam reducit domum: quæ in illo flexu qua si ætatis, quo sæpè voluptates ac deliciae cum inclusæ diutius, & prima ætate compressæ atque constrictæ fuerunt, subito sese profundunt, & eiciunt vniuersæ, nihil de summo illo studio

dio

dio & acerrima contentione animi remissa.
 Cæteras virgines videmus ab ipsis incuna-
 bulis ita cõptas & ornatas, tam multis pig-
 mentis & fucis oblitæ, vt non natæ, sed A-
 pellis alicuius arte factæ esse videãtur, dant
 se in conspectũ omnibus, volitãt erectę tota
 vrbe, nullum conuentum hominum, nullã
 celebritatem declinãt, & quicquid tempo-
 ris aut operi fuit & labori, aut studio pie-
 tatis tribuendum, id infelices ac miseræ le-
 nitati, & cupiditatibus suis obnoxia partim
 in musicis, partim in saltationibus cæteris-
 que voluptatum illecebris consumunt. Hinc
 quæ probra, quæ dedecora, quæ flagitia
 proficiscantur, quàm multæ grauésque pe-
 stes ex hoc vno fonte manent, non est ne-
 cesse dici: vtinam res tam obscura esset, vt
 nisi diceretur à me, à nemine posset intel-
 ligi. Longè alia ratione putauit Elisabetha
 sibi esse viuendum: nullæ in victu delicie
 nulla mollities in moribus: nulla in vestitu
 luxuria: quicquid nanciscebatur otij, vel in
 corporis labore, vel in animi contentione,
 facris precationibus, commentationibusq;
 rerum diuinarum collocabat: respuebat vo-
 luptates corporis, ludos æqualium & studia
 deserebat, non conuiujs, non frequentia &
 celebritate delectabatur: reiiciebatur om-
 nis insignis gemmarũ & margaritarũ orna-
 tus,

tus nu
 bantur
 & rui
 dities
 bat in
 ne occ
 stem e
 tenuit
 nere v
 stare e
 que ta
 & disc
 Arago
 & ex a
 contin
 ptum
 retur
 suoru
 pagar
 lia sec
 mis C
 domi,
 eius v
 fama
 & Eli
 graui
 Apuli
 hærec
 tum

tus nulla calamistra, nulli cincinni adhibebantur: fucati vero medicamenta candoris & ruboris omnia repellebantur, sola mundities in corporis cultu remanebat: castigabat inediâ corpus innocens, sui que victrix, ne occultis & rectis superaretur insidiis, hostem omnium teterrimum, inopia cibi & tenuitate, deprimebat, in omni denique genere virtutis supra ætatem, supra vires præstare cæteris & antecellere conabatur. Itaque tanti iam eius in omni vita constantia, & disciplinæ severitas fiebat, vt ipse pater Aragoniæ rex, quicquid prosperè cecidisset, & ex animi sententia gestum esset, id puellæ continentia & probitati referret acceptum, sæpè que multis audientibus profiteretur ac prædicaret, quod opes regnorum suorum florent, quod in dies latius propagarentur fines imperij, quod multa prælia secunda fierent cum hostibus infestissimis Christianæ religionis, quod pax rectè domi, bellum foris administraretur, omnia eius vnus esse tribuenda probitati. Interea fama de rebus à Petro rege præclare gestis, & Elisabethæ integritate, oras omnes peragravit: adsunt è Britannia legati: adsunt ab Apulia, qui Elisabetham. eorum regnorum hæredibus, vxorem dari postulent. Iam cum Dionysius in Lusitania, mortuo Al-

phonso patre, regnum obtinebat. Eòdem tempore forte legati ab eo ad regem Aragoniæ peruenerunt, per quos eandem in matrimonium ducere se vehementer cupere significabat. Multum ac diu dubitauit rex, quis esset reliquis anteponendus, vicit tandem Dionysij legatio, & , vt illis temporibus, amplitudo: ei spondetur Elisabetha, que non tam nubendi studio, quam patri morem gerendi voluntate, nihil recusat. Multa hic a me necessariò prætermittenda sunt nec ad augendam eius laudem exigua, nec vobis ad audiendam iniucunda. Ad illa enim grauissima, quorum vos magnam iam expectatione teneri sentio, festinat animus, timeoque ne si omnia persequi velimus, sero nimis veniamus ad ea, quæ maiorem dicendi copiam vbertatèque desiderant: sed quod & facile est, & breui dici potest, quam aliam mente atque animo, ac vulgus seminarum solet, venerit ad nuptias Elisabetha, vita illa satis demonstrat, quam post nuptiarum celebritatem instituit. non enim, vt fere mos desiderarum & consuetudo fert, non leges nuptiarum, non dignitatem regiam, non amplitudinem maiestatis, non fluctus negotiorum, non imbecillitatè naturæ, non valetudinis tenuitatem, non alias causas honestas prætendebat inertia: omnia vincula,

omnes

omnes laqueos ignaviae desidiaque facile
 perfregit atque perrupit. Nupta sum, inquit,
 matrimonij legibus parendum est; sed ita,
 ut me sponsam meminerim esse Christi: per
 veni ad supremum honoris & dignitatis gra-
 dum: at omnium regis ac domini mei dicto
 audientem esse necesse est, & maiorem in
 modum metuendum, ne quam divina beni-
 gnitas ad amplissimos honores extulit, su-
 perbia & arrogantia deprimat ad sup-
 plicia sempiterna: impendet undique magna cura-
 rum moles & negotiorum; at mihi nihil di-
 ligentius curandum est, quam id ex quo mea
 vera vita salutisque penderet: labores sunt, su-
 scipiantur: molestiae multae; deuoerentur: ne
 tantulum quidem deiiciendi oculi; in per-
 petua quadam custodia peruigilemus: cum
 ipso corpore, cum his ipsis membris, quae ge-
 rimus, longa subeunda, difficilisque dimica-
 tio; non modo id non recusamus, sed appe-
 rimus etiam atque depreciamur. Nam si haec
 sustinere ac perferre viribus non valemus,
 quae tamen molestae sunt; multis tamen di-
 uinitus praebitis solatiis & illius vitae beatae
 spe leniuntur ac mitigantur: poterimus aeter-
 nas flammis, poterimus cruciatus innume-
 rabiles & exquisitos in summa desperatione
 rerum omnium sustinere: eiicienda eiicienda sane
 haec mollities animi, excutienda recordia,

100 *Laudationis in B. Elisabetham*

omnis illa vetus negligētia procul hinc, pro-
 cul repellēda & fuganda est: quāquā eius se-
 per cura fuerat in omnibus rebus acris &
 impigra; tamen, vt homines diuini solent, se-
 desidem & inertem fuisse arbitrabatur. Ita-
 que cum iā apud Dionysium regē esset, multā-
 que ab eo castella, magnūque comitatum
 accepisset, vt reginæ postulabat dignitas: sin-
 gularem quandam, & admirabilē, & in tāto
 fastigio fortunæ fortasse in omni memoria
 inauditam sectā rationēque vitæ secuta est.
 Audite me, audite, vt humanitas vestra fla-
 gitat rei que præstantia, viri ornatissimi nū-
 quam, audeo dicere, nunquam vos audiuisse
 pœnitebit. si enim in primis virtutis rudi-
 mentis, & tanquā incunabilis, & in ætatis il-
 lo quasi tyrociniō & disciplina puerili, ad-
 miratione tantā tenebamini, quānā in ipsa
 virtute tanquam militiā mediōque cerra-
 mine futurā admirabilitatem iudicatis? sin-
 gulis diebus preces ad omnes horas Pontifi-
 cum institutis cōprobatas septemque Psal-
 mos mira quadā religione recitabat: adie-
 ciebat solēnes S. Mariæ preces & exor-
 quiarū, prosequēbatur præterea multorū Sā-
 ctorū memoriā, quorū sãctitatē maiore qua-
 dā colebat pietate: veniebat in sacellū: quod
 mirifice semper habuit ornatū intererat re-
 diuinæ studiosissimē, ac vespertinis preca-

tionibus, reliquū omne diei tēpus in opere partim faciūdo, partim imperādo, cōstituēdāque re domestica ponebat. Nonne iā omnium sacrarum virginū pietatem & religionem videtur esse consecuta? quid enim vos, quid aliud agitis, religiosissime virgines, quę circūscriptæ parietibus, inclusæ liberali custodia sponte vestrâ, corpore atque animo vivitis soli Deo mancipatæ? vos, inquā, quid aliud agitis, nisi assiduè precamini, laudes Sāctorū celebratis, adestis rei diuinæ sēper aut in iis, quæ pertinent ad pietatē, aut in aliquo labore corporis estis occupatæ? Hæc Elisabetha regina faciebat, hoc etiam admirabilior, quā vos, quod iam dissimili cōditione nata, tā similitē ac prope parem arripuit vitæ vestræ disciplinā. Sed non his modicis finibus, neque his tam angustis regionibus, eius animi religio circūscripta tenebatur, neque tam diuinā fœminā cæterarū pietatē assequi satis erat, vincere etiam ac superare oportebat. Quid? est in hoc genere virtutis aliquid ultra, quod religio cuiusque progredi possit? Studium Elisabethæ singulare, novā rationē aliquā excogitabit. Nā si illæ rei diuinæ adsunt, hæc id faciet, quod ipse facere, si maximè cupiant, nullo modo possint. Quę omnium erat excepto rege, dignitate princeps, genere nobilissima, iure atque imperio

regina, in cuius cōspectu stabant aperto capite viri clarissimi, qua cum nemo, nisi flexo genu & submisso loquebatur; hæc, ubi sacerdos, recitato symbolo fidei constiterat in gradibus aræ, corpore quidem erecta, sed mente atque animo tremens accedebat, procumbebat ad eius pedes in genua, manum exosculabatur, offerebat pro tempore diæque tantum. O animum vere magnum & excelsum! ô diuini numinis nunquam auditam reuerentiam! ô pietatem egregiam, & his miseris reipubl. Christianæ temporibus inusitatam! Quotus enim quisque non de regibus dico, non de iis, qui cæteris excellunt dignitate & imperio: non de nobilibus, qui natalium claritatem oratione magnificâ, maiorûmque facta iactant: sed de iis qui numerum aliquem & locum obtinere volunt: quotus quisque reperietur, qui hoc facere audeat? accedunt iam ex omnibus templi partibus viri gregatim ac feminae; verum de media plebe, de medijs officum gregibus, de numero eorum, qui propter opum tenuitatem in obscuro sunt: si qui adsunt elegantius paulò culti, si qui maioris pretij, quam reliqua multitudo volunt videri; illi sedent, ut ante faciebant, alienum id à sua gravitate existimâtes: illos pios esse religionisque colentes pudeat. Ita iam antiquis-

tiquissimus ille mos Ecclesiae quem maiores sanctissime semper coluerunt, repudiatum à summis, spretum à mediocribus, in ea quae dixi humilitate & obscuritate cōsedit: multis vero locis, hominum insolentiā penitus sublatus è medio & extinctus est. At Elisabetha regina nihil se dignius putabat, quam quod ferebat consuetudo sacrorum, quod ipsa religio prescribat. nec vero se tum reginā, sed foeminā mortalem esse, nec sacerdotem hominem, sed Christum, cuius tum personā sustineret, toto pectore cogitabat. Magna profecto laus, & omnium gentium praedicatione digna, sed multò longius progressa est Elisabethae religio. Nam, qui se Deo totos deuouerunt, non solum in assiduis precibus sunt & celebritate sacrorum occupati, detrahunt, quantum possunt, de cibo, & exiguo victu pascunt corpus, sed restinguunt cupiditatum ardorē, affligunt membrorum vires, diuinum illum mentis impetum ad rerum caelestium contemplationem erigunt. Id si ad comparandas virtutes Christianae vitae multum valet, ei certe praeter eundem non erat, quae tanto ad vitam honestam studio inflammata raperetur. Neminem vestrum latere arbitror, quanta ciborum exquisitissimorum varietate mensae regum exstraantur, quanti apparatus, quae

104 *Laudationis in B. Elisabetham*
conditiones adhibeantur. quorum salute
cùm publica salus ciuitatum regnorumque
contineatur, meritò illi quidem ac iure opti-
mo, ne tam graue vulnus afferant imma-
tura morte suis omnibus, corpus curant va-
letudinem tuentur diligenter, ne hoc qui-
dem rationis habuit sanctissima Elisabetha,
quod non minùs honestè quàm cæteri po-
terat habere: sed cum id ab omnibus illis
diuinis hominibus factitatum videret, vt
illam bestiam immanitate ac diritate teter-
rimam perdomaret, quæ multis exitium &
pestem intulisset; vt eius frangeret impe-
tum furorem frenaret, rabiem coërceret:
omnibus diebus Aduentus totòque Qua-
dragenario ieiunio, & S. Mariæ peruigiliis
& Apostolorum, non solùm à carnibus cæ-
serisque vetitis epulis abstinebat; non erat
communi continentiaë more contenta, om-
nes cibos lactiores remouebat, nihil adhi-
bebat obsonij pane tantùm & aqua vitam
ægrè tolerabat. Video vos hæc magna duce-
re, viri ornatissimi, video vultus omnium
admiratione quadam tacita defixos; ne tan-
toperè miremini, parua hæc, parua in B. Eli-
sabetha sunt; idem à die natali S. Ioannis
Baptistæ, vsque in ante diem duodeuigesim-
um Kalend. Septembris, qui dies est reli-
gione publica Virgini Mariæ consecratus;
idem

idem ab eo die rursus vsque ad diem tertiū Kalen. Octobris, qui dies est Archangelo Michaëli facer; idem diebus Veneris & Saturni faciebat; idē multis aliis diebus, quos ipsa priuatā quadā religione, propter certorum Sanctorū merita solebat obseruare; extra hæc stata, definitaque anni tempora, tribus hebdomadæ cuiusque diebus à cibo se continebat, & in hac tam aspera austeraque vitæ disciplina, nulla tristitia, nulla frontis contractio, nullum supercilium, nullus horror, incredibilis quædam inerat humanitas & comitas; ô memorabilis abstinentia! ô instituta salutaria! ô femina non iam mulierum illustrium, sed summorum virorum laudibus, & diuino quodam genere verborum prædicanda! quantulam vobis anni partem vacuam ab inedia & labore videtur esse voluisse? quot dies nos in mollissimo victu, & in omni corporis indulgentia consumimus, tot illa, fortassis etiam plures, ad id affligendum & subigendum conferebat, vix totidem eius uiribus reficendis impertiebat, quot nos modicæ tribuimus cibi continentia. quibus rebus frenauit animi lasciuientis petulantiam, extinxit incendium cupiditatis & vitiorum omnium compescuit appetitiones contra rationem incitatas vehementiùs, omnes turbulentos

motus, & quasi titillationes voluptatum re-
pressit, sedatisque fluctibus perturbationum
eâ tranquillitate integritatêque mentis fuit
& corporis, eâ moderatione consilij, eâ in-
iuriarum patientiâ; non vt animum assiduâ
commemoratione seuocatum & abductum
à societate corporis habere, sed vt ipsum cor-
pus in mentis vim & naturam plane muta-
tum & conuersum esse videretur. Vnum
tantum factum vobis commemorabo, in
quo mihi videtur omnis illa mentis elucere
diuinitas: an me fallat meus animus vos ip-
sos existimare volo: me, quaeso, diligenter at-
tendere. Rex communi ætatis illius errore,
paululum deflexit de recta regione, spreta-
que reginâ deuinctus aliarum consuetudi-
ne tenebatur: perferebatur res ad eam, ipsa
se audire dissimulabat, dolebat quidem ve-
hementer & angebatur contemni diuina &
humana iura, deliniri virum ac pellici à non
castis mulierculis, ruere ad interitum vo-
luntarium, sed communis ille dolor mulie-
bris penitus in tantis iniuriis viri refrixe-
rat. Heri multam ille vestem pretiosam,
hodie murænulas aureas egregiè factas, il-
lis muneri misit. Elisabetha librum de re-
bus præclaris conscriptum sumebat in ma-
nus, euoluebat, lectitabat: modo filio-
lus ei natus nuntiabatur pulchellus, vt
aiunt,

aiunt, puer & elegas, illas matronas & puellas ad opus faciendum hortabatur. Hoc cecine est humanum factum? hoc cecine officium mariti? hoc tibi reginae potentissimae ferendum? non agitata res? non in tanta indignitate vociferandum? non supplicia? non mors abiectissimis mulierculis intentanda? regina voces tumultuantium foeminarum contemnens, multa de Deo cum suis, multa de rebus caelestibus, sermocinabatur! ô mentis altitudo, ô grauitas morum! ô rectae atque perfectae rationis constantia! non atas temerariam, non iniuriae magnitudo impatientem, non amplitudo dignitatis, & potentia effrenatam faciebat. Feminae tenues obscuro loco natae, quam sagaciter, haec omnia vestigiis odorantur; quam patentes habent aures omnium sermonibus & calumniis? quam acriter contendunt oculorum aciem & animi cognitionem? omnia lustrat, omnes rumorum ventos aucupantur, ingerunt se atque intrudunt, nihil non explorant, nullam non commouent suspicionem, si quid à viro commissum est, inuolant in oculos inflammatae dolore, spumas agunt in ore, stillant oculi lachrymis, ardet vultus atque oculi, pectus aestuat iracundia: domi vociferantur, apud vicinos maledicunt, intrus bellum habent indictum misero marito

iur

iurgantur, iactant conuitia petulantissima, lingua consectantur, foris omnia effutiunt, continere se in illo dolore nullo modo possunt. Si qua verò potentia est, si quæ opes, si quæ cognatorum & amicorum copiam, si qua nobilitatis opinio, Deum immortalem qui motus, quæ turbæ sunt, quæ tragædiæ civitatem omnem perturbant, cælo terram miscent, terra cælum, excitant quotidianis querimoniis necessariorum in virum odia, incendunt animos amicorum, gladios propinquorum acuunt instruunt intra mœnia, peneque intra parietes domesticos armatas acies, ipsæ tanquam furiæ inter utrasque mediæ versantur, hinc suorum iram ad iniuriam vlciscendam inflammaat, inde aliorum ad vim propulsandam animos impellunt. Unde diuortia, vnde inimicitia primariorum hominum, vnde discordia civiles sæpe tantæ, vt nisi sanguine multorum obruantur, nullis mansuetudinis æquitasque remediis leniri ac mitigari queant, si nullus est in opibus & factione modus, si abest impotentis animi effrenatio, alienos quidem ignotos sui doloris esse patiuntur, sed in parentum fratrumque manibus & gremio, in cœrore & lachrymis consenescent. Quàm dissimilis, quàm aliena fuit ab hac leuitate, sanctissima regina, tua ratio atque via: nulli
tumul

tumultus, nullæ seditiones, nulla dissidia,
 nullæ querimoniae, ne sermones quidem eo-
 rum sustinebas æquo animo, qui gratiam
 aliquam à te perferendis omnibus inire cu-
 piebant: quod si nihil aliud fecisset, viri or-
 natissimi, iam omnium tolerantiam, iam
 omnium moderationem, iam omnium sa-
 pientiam infinitis partibus vicerat. Non eo
 fuit Elisabethæ gravitas contenta: deducan-
 tur, inquit, pueri suscepti domum, hic hic
 ante nostros oculos versentur & quorum
 conspectum ferre cæteræ non possunt, quos
 amandari procul à domo, procul ab vrbe im-
 perant, quos hostiliter oderunt, hos nos di-
 ligenter educemus, hos liberalem in mo-
 dum instituamus, hos materna beneuolen-
 tia tueamur, his victum vestitumque beni-
 gnè præbeamus. Itaque dabat eis pædago-
 gos, & custodes viros integros & industrios,
 eosque multis beneficiis amplificabat, eo-
 rum dignitatem omnibus opibus omni stu-
 dio, omni diligentia defendebat: stupet pro-
 fecto animus admiratione tantæ rei, oratio
 ipsa tanquam insolita luce percussa hæret,
 verba me tantæ virtuti paria deficiunt: sed
 age videamus extrema, videamus exitum.
 Nam cum reginæ modestia videatur incre-
 dibilis, multo tamen est illud maius & ad-
 mirabilius, quod perfecit, Non potuit
 Rex

Rex tantam patientiam mansuetudinem-
que perferre, & qui iurgia lites, clamo-
res, ferrum denique & arma facile forte cõ-
tempfisset, is excelsi animi præstantiam mi-
ratus, & illam in hac mortalitate nostra, &
humanæ vitæ fluctibus & procellis inusi-
ratam tranquillitatem, confirmat ipse sese,
expedit mentem ex illis laqueis, quibus
constricta tenebatur, & quæ ratione antea
non perspexerat, ea nunc non importunis
querimoniis permotus, sed admonitio-
nibus tacitis modestiæ, victus abiicit:
reuocat se ab omni cupiditate, reliquam
omnem vitam castè, atque integrè tra-
ducit. Et miramur anteponi cæteris, quæ
studio Christianæ religionis, & insolito
quodam ardore animi, sic fregit cupiditates,
dolores vicit, metus superauit, spes ina-
nes repressit, vt non in terris mortalis in-
ter mortales viuere, sed in cælo iam mor-
talis cum immortalis Christo regnare ac
triumphare videretur. Illud magis nobis mi-
randum est fœminam sexu fragilem, ætate
inconstantem, in omni rerum abundantia
viuentem, & in illo strepitu regiarum ædium
ac tumultu, eum vitæ cursum tenere po-
tuisse, à quo cum sanctissimi viri quon-
dam depellerentur in desertas solitudines,
in antra se ac rupes abdiderunt. Quam-
quam

quam hæc illis mira videri debent, quibus non omnia Elisabethæ facta sunt perspecta: mihi quidem pro cætera eius vita parua & exigua videntur: non enim humanam, sed diuinam quandam vitæ rationem persequuta est, nihil iam viderur ad illam religionem addi posse & quidem meritò videtur; cuius enim vnquam in reginæ pectore tam ardens fuit studium pietatis? cuius mens à rebus humanis euocata ad cælestium & diuinarum amorem tam inflammata ferebatur voluntate? verum secum ipsa contendit & certat, & cum omnes iam cultu superarit, & illius supremæ naturæ reuerentia, nunc hoc agit, vt se ipsa perpetuò superet & vincat. Atque vtinam, vt hæc magna & præclara sunt, ita verbis illustrari, ante oculosque vestros constitui, vel exiguitas temporis tanta, vel infantia nostra pateretur, vel vtrumque: sed incidenda sunt omnia, vt ad ea tandem aliquando veniamus, quæ vestris mentibus atque animis cupimus esse penitus infixæ. Quod honorati nunc in sua Republica ciues facere recusant, ne habeantur humiles & abiecti, hoc regina in illa maiestate & potentia faciebat. Sæpe numero de peccatis confitebatur apud Sacerdotem, stans temporibus sacrum illum cælestemque panem corpus Christi.

Opt.

Opt. Max. mirifico sensu quodam dolorum, quos ille nostra causa pertulit, sumebat: non tam rarò, quam nostra, vt quidam volunt, reuerentia, vt res ipsa indicat, iners, & somniculosa negligentia consuevit. Vbi- cumque cognouerit esse religiosissimum templum aliquod, adibat eò sæpe etiam pedibus, nec itineris labore, nec longinquitate locorum terrebar. Diebus illis Iouis & Veneris, quibus vbique repræsentatur sanctissimis cæremoniis mortis Christi memoria, sumebat, obsoletas vilésque vestes, audiebat concionem, aderat diuinis mysteriis. Quis eorum dierum lachrymas, quis gemitus, quis singultus tacitos, quis cœlitus haustas cogitationes excellentis animi in illius dolore noctis possit oratione complecti: tum iis, quos inopiæ suæ pudere sciret, ingentes pecuniæ distribuebantur: tum omnes vndique elephantia confectos, cæterosque mendicos conuocabat, quos cum vestitum singulis præbuisset, ornatos & hilariores dimittebat: tum imperabat accersiri foeminas aliquot absumptas elephantia, quibus illa Lusitaniæ regina, filia clarissimi regis, neptis longè clarioris, mater, mater vero maximi, pedes abluerebat, deosculabatur, abstergebat linteo, & quas cæteri non poterant videre, quia commouerentur & nausearent, quarum ipsa

ipsa tecta procul, ut aspexissent, exhorrescebant, eas & tractare manibus & ore contingere non reformidabat. Quid reliquo anni tempore, quanta eius erat liberalitas & beneficentia, cum Constantino illo Magno, cum Theodosio, cum omnibus regibus & principibus, quorum est celebrata religio, & bonitas, certare videbatur, quāquam; quoniam hæc nomine appellem, nescio: sūt enim eiusmodi, ut omnium virtutum dignitas, & pulchritudo, & splendor singulis videatur contineri: inuisebat egrotos, sæpenu-mero accedebat sine vlla reformidatione: manus imponebat, verbis consolabatur, & ut requirebat cuiusque morbus, ita quem-que curari diligenter iubebat. Filias nobilium virorum ubi educauerat, dotatas dabat in matrimonium, aut in aliquo alio vitæ genere collocabat. Quis enumeret monachorum, & sacrarum virginum cœnobiorum quibus illa non in Lusitania modò sed etiā in finitimis regionibus, quæ ad victum sup-
peditarent vestitumque præbebat, quis commemoret quā multas virgines in summa rerum omnium inopia periculòque dedecoris honestissimè collocarit, quā multas iam iam prope cadentes, & propter egestatem omnem castimoniam abiicientes, suis opibus sustentarit, & ex periculis impu-

H

orum,
nebat:
m vo-
rs, &
Vbi-
imum
m pe-
uitate
uis &
san-
emo-
s, au-
teriis.
gemi-
s hau.
illius
lecti:
, in-
mnes
osque
titum
es di-
minas
is illa
eptis
ximi,
gebat
dere,
quarū
ipfa

dentibus turpitudinis & infamiae, largitate liberarit? quis egens & afflictus de iis, qui stipem ostiatim cogunt, in eius se conspectum dedit unquam, quin aliquid abstulerit? quem in magnis rei familiaris angustiis auxilium à quoquam expetere verentem non suis facultatibus sustinebat, non in collocatione filiarum adiuuabat? quod xenodochium, quod templum, quem pontem, quem aquæ ductum, quod opus aliud vel ad colendam religionem, vel ad homines iuuandos utile inchoatum vsquam vidit & rude, in quod non aliquid impenderit de suo? audistis maximum coenobium ædificatum esse prope Scalabim religiosis virginibus, quæ S. Benedicti disciplinam & instituta suscepserunt? cum à matrona quadam inchoatum accepisset, exædificauit Elisabetha; accepistis in illo ipso castello xenodochium satis amplum, & copiosum esse ubi pueri à parentibus expositi educuntur, ubi prolixè subleuetur egestas ægrotorum? Martinus quidem Aegeditanus Episcopus prima fundamenta iecit, ad culmen perduxit, ornauit, præceptis instituit Elisabetha; Gaudetis hic in huius urbis conspectu, in ripa fluminis augustissimum Claræ templum, & sacrarum virginum religiosissimas ædes esse collocatas? collocauit Elisabetha, quid plura; omnia que

quæ in iis locis (quæ sanctissima regina monumenta suæ benignitatis & religionis esse voluit) piè religiosè, seuerè, grauiter castè liberaliter, humaniter, aliquando facta sunt (at quàm multa facta sũt?) omnia, inquam, si rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Elisabethæ. Quæ eius facta tam multa, tam varia, tam insignia, quàm accepta fuerint illi principi ac parenti Deo, multæ res mirabiles, diuinitus ab ea factæ declarant: sed eas non exponam vobis in præsentia, viri ornatissimi, non comittam, vt hac vestrà tantâ in audiendo patientiâ, videar abuti: nam neque vobis illas ignotas esse arbirror, neque vehementer in vita Sanctorum atque factis admirandas, sunt illi Dei Opt. Max. filij Christi seruatoris & socij & fratres, hæredes illius regni sempiterni, Ecclesiæ duces atque signiferi, principes huius nostræ militiæ cœlestis, dæmonibus horribiles, hominibus admirabiles, chari cœlestibus, ipsi illi mundi fabricatorũ Deo grati & iucundi: sũt terrarum præsidia, gloria populorum omnium quasi stellæ quædam & lumina generis humani: incidunt vestibis attritis, sæpe seminudi, sine vilo ornamento, sine vlla venustate, contemnuntur, iactantur, omnium improborum irrisione luduntur: sed ipsorum ornatum ani-

mi, virtutesque diuinas cœlum miratur, omnes boni defixi contuentur, omnia muta & inanima prædicare gestiunt; infimi ac despiciatissimi mortalium habentur: sed his permissa est ab illo cœlesti parente rerum omnium maximarũ & admirabilium potestas: quorum si præstantiam videremus animo, si nobilitatem, si diuinitatem illam intueremur, si perpetuo hoc habitu atque hac corporis figura, nostræ mentis acies ad illa magna & incredibilia bona penetraret, & munera, quæ à summo rerum moderatore Deo acceperunt, omnes istos, quorum incessum ipsum gestusque miramur, quos auro, argento, gemmis, bombyncinis vestibus & omni concinnitate depictos, vix humi cernimus figere vestigia, quorum vertices pulsare, manus conuellere, ipsi equi ferocitate sua cœlum expugnare velle videntur, qui tanquam vnguentariæ tabernæ circumferunt suauitatem odorum omnium, tanquam oblitos cœno eluderemus, & omnium regum maiestatem & potetiam præ iis vehementer putaremus esse deridendam: depellunt imperio grauissimos quosque morbos, mortuos reuocant ad vitam, sedant tempestates, montes trasferunt, fluviorum cursus retardant, bestiarum feritatem perdomant, venena serpentium extinguunt, omnia denique

nique tamquam ipsius naturæ domini ad
 arbitrium suum moderatur & flectunt. Hic
 quid dicam osculo purgatum esse cancrum
 insanabilem? quid narrem cuiusdam men-
 dici caput à ianitore reginæ gravissimè fu-
 ste vulneratū, cum apposuisset album oui,
 subitò sanum & integrum esse factum, ob-
 ductâ cicatrice? quid commemorem cuidam
 puellæ, quæ cæca nata esset, impositis ma-
 nibus aspectum esse restitutum? quid illos
 colligam, quos illa precibus adhibitis, gra-
 vissimorū morborum molestiâ periculòque
 liberarit? Non ego miror sine medicina sa-
 natos esse quosdam Elisabethæ sanctitate,
 sed vbi virtus illa versaretur, quæ tantam, à
 Deo gratiam iniisset, ibi vim vllam morbi
 dominari potuisse, hoc verò monstrum &
 portentum esse duco. itaque missa faciam
 hæc omnia in præsentia, in quibus mirum in
 modū se mea iactare posset oratio. Veniam
 ad illud quod nescio an splendore suo cæ-
 terarum rerum gloriâ obscuret & obruat,
 vt, etiam si maximæ sint, tamen non appa-
 reant, & in id tamquam in Solis radios in-
 currant: quo vobis exposito, vt ipsius ma-
 gnitudo, & temporis patientur angustia, si-
 mul à nobis erit peroratum. A vobis peto,
 viri ornatissimi, vt eius laudes, cuius & in
 hac vrbe, & in omnibus Lusitaniæ partibus

liberalitatis, religionis, sanctitatis videmus
 impressa vestigia: quàm omnes ciuitates pa-
 tronam & vindicem; omne, oræ terrarum
 ornamentum, ipsum cælum decus atque lu-
 men suum esse confitetur & prædicat, æquis
 & attentis animis audiatis. Si quam ex ora-
 tione nostra atque ex hoc tanto calore mo-
 lestiam cepistis, extenuet eam huiusce diei
 celebritas, diluant singularia S. Elisabethæ
 merita, præstantia rerum earum, quas com-
 memorabimus, depellat. Quis non admira-
 tur, quæ dicta sunt? quis nõ tam magna du-
 cit & tam illustria, vt ea nullius hominis
 factis, quamuis maximis, postponatur? mihi
 verò cæteras res ab ea gestas cum hac con-
 ferenti perquàm leuia videri solent: nam
 præclaram habere ad virtutem indolem,
 studia puerilia negligere, magno rerum di-
 uinarum amore flagitare, inediã famèque
 frangere effrenatas appetitiones, liberali-
 tate, modestiã, submissione animi ceterisque
 virtutibus, & multis rebus florere supra cõ-
 suetudinem, supra naturam, supra mortali-
 tatem, magnum quidem, magnum & com-
 memorabile videtur: sed contemnere ruam
 quietem, & corporis & animi otium abii-
 cere, vitæ tranquillitatem, ad quam omnes
 labores & vigiliæ referuntur, repudiare, vt
 alios pacificos, mentes eorum omni modo
 flectere,

flectere,
 mach
 mag
 verò
 ri fa
 viri f
 & la
 ripui
 rimo
 anim
 sis p
 mife
 tiam
 sua
 caba
 vehe
 calu
 vt in
 ad h
 hem
 tur.
 sto f
 pore
 mo:
 niu
 mè
 esse
 hom
 etiã

flectere, adducere quò velis, omnes ad id
 machinationes & artes adhibere, id demum
 magni viri, & præcellentis esse iudico. At
 verò S. Elifabeta, quod non nisi summi vi-
 ri faciunt, quid dico summos? quod vix vili
 viri faciunt, quod omnes propter molestiam
 & laborem, offensionésque declinant, id ar-
 ripuit, id tenuit, in eo quamdiu vixit, acer-
 rimo studio, summâ contentione virium &
 animi versata est. Vt in facinorosum cau-
 sis prudentiam summam, sic in calamitate
 miserorum singulorem adhibebat diligen-
 tiam: nec pro salute vnquam eorum, quos
 sua scelera rapiebant ad supplicium, depre-
 cabatur, & vbi in aliquem rex incitatus erat
 vehementiùs maleuolorum sermonibus &
 calumniis, in eo summoperè elaborabat,
 vt innocentiam cognitâ calamitosi hominis,
 ad humanitatem & clementiam ex illa ve-
 hementiore animi concitatione traducere-
 tur. Infederat in eius memoria ille à Chri-
 sto seruatore habitus in extremo vitæ tem-
 pore de amore hominũ & benevolentia ser-
 mo: hanc in eius vita; hanc in moribus om-
 nium Sanctorũ, atque factis enituisse maxi-
 mè cognorat: eandem sibi viã ingrediendam
 esse arbitrata est, non solùm, vt ipsa omnes
 homines amore summo complecteretur: sed
 etiã vt aliorum animos occupatos, & effe-

ratos odio ad mansuetudinē beneuolētiāque deduceret; si quos in Lusitania, si quos extra Lusitaniam inimicitias exercere perfebatur, vel ipsa grauissimē ad eos placandos & accerrimē incumberebat, vel totū illis negotium diligentissimē mā dabat, quos ad id conficiendum maximē putaret idoneos. Cognoscebantur causse dissidij, componebātur ex æquo & bono res: si alteri de iniuriis quas alteris intulissent, satisfacere nequirent; regina de suo, quantum opus esset, tribuebat: ita qui fuerant hominum ante perfidiā distracti, auctoritate sanctitatēque Elisabethæ, in concordiam reducebantur. Nulla res ei tam grata poterat accedere, nec tam iucūda, quā eorum reconciliatā gratiam videre, conglutinatam amicitiam, animos consentientes atque conflatos, quos antea simulates implacabiles & inexpiables distraxissent. Animaduertite, obsecro, sanctissimæ reginæ in componenda gratia diligentiam, audite sapientiam, cognoscite magnitudinem animi atque constantiam. Alphōsus princeps à rege fratre suo magno totius Lusitanix motu, dissidebat: iam res ad arma spectabat, iam vici aliquot à Dionysio bello capti erant, magna regno calamitas imminere videbatur. Non latebat Elisabetham, quanto Lusitanix totius malo

decertaretur. Itaq; multos Pōtices ad tantam pestem extinguentē excitauit, & ipsa, quantum animo conuicti potuit & contendere, tantum fecit, vt ex illa tam turbulenta tempestate belli, serena lux & tranquilla pacis oriretur; Rex dedit fratri veniam; Alphonsus, vt obtemperaret regi, cū ab eo vicos aliquot accepisset, adductus est: regina, vt hæc obtineret, Sintram quā accepit à Dionysio, reddere non dubitauit: nihil dico quid omnes boni consecuti sint, nihil quid vos, nihil quid omnes Lusitanæ ciuitates; non amplius verbis impendentes omnibus clades, nec à vobis contendendam, viri ornatissimi, si magnas illas & luctuosas iudicatis, vt eius virtutem existimetis singularem, per quam fuerunt à publica salute depulsæ: sunt enim alia multò maiora quæ nos iam dudum ad se vocant, nec in his patiuntur orationē nostram commorari. Ferdinandus Castellæ Rex, huius lectissimæ reginæ gener, & eiusdem frater Iacobus rex Aragoniæ, de Murciano regno, quod Ferdinandus per summam iniuriam ereptum sibi esse querebatur, vehementer inter se contendebant. Interea Saraceni, quorum opes, etiam tum in Hispania plusquam modicæ erant, confirmatis per occasionem viribus, ad spem aliquam recu-

perandi vrbes & amissa regna superioribus
 annis erigebantur: quod cum ad Elisabethæ
 petuenisset aures, pro eo ac debuit,
 grauius & molestè ferens, assiduè deplo-
 rare incommoda Christiani populi, de die,
 de nocte Deo Optimo Max. pro eius inco-
 lumitate supplicare, cum Rege, cum Ponti-
 ficibus, cum omnibus, quorum aliqua erat
 auctoritas & consilium, de pace colloqui,
 crebros ad vtrumque nuncios, litteras cre-
 briores mittere, nihil non tentare & face-
 re, quod ad tam graues offensiones lenien-
 das pertineret; perfecit tandem, vt arbi-
 trum caperent Dionysium: ambòque pari-
 ter profecti, vsque in Aragoniam Turria-
 sionem peruenerunt. Ibi venientibus præ-
 stò sunt Iacobus & Ferdinandus Reges, ex-
 ponunt suam quisque Regi causam: audit
 ille diligenter pro se quemque dicentem, eo
 disceptate, sine tumultu sine ferro, sine san-
 guine ciuium dirimuntur controuersia, di-
 sceditur ex ea vrbe: qui animatis omnibus,
 vt ad communem perniciem ex Hispaniæ
 finibus penitus eiciendam & exterminan-
 dam auxilia mutua pollicerentur & offer-
 rent. O felices terrarum oræ, in quas tua,
 sanctissima regina, virtus delata est! ô bea-
 tæ gentes atque nationes, quæ tuum singu-
 larem in omnibus rebus modum & cōstan-
 tiam

tiam
 sam a
 dilig
 nem
 hosti
 omu
 oblig
 tran
 bi m
 popu
 xisti
 phor
 riuar
 vxor
 attri
 ardo
 gere
 pulsi
 & pe
 circu
 prim
 cont
 tia
 Con
 obfo
 in o
 auct
 esse
 etij

tiam videre potuerunt. Lusitaniam vniuersam ardentem intestino bello industriâ & diligentiam tuam iam antè seruâras, nunc omnem Hispaniam ex faucibus teterrimorum hostium eripuisti, qui iam omnes vrbes, iam omnia regna spe ac cogitatione deuorârât: obligâras antè tibi maximo quietis & tranquillitatis beneficio tuos, nunc non tibi modo, sed etiam tuis omnes Hispaniæ populos salutis conseruatae munere deuinxisti. Iam ex Aragonia redierant, iam Alphonsus vtriusque filius, ad quem hæreditariam perueniebat Lusitaniæ regnum cum vxore Conimbricæ, quæ fuerat ei à patre attributa, confederat, iam iuuenili quodam ardore filius cum patre graues inimicitias gerebat. Rex quorundam hortatu & impulsu, qui pessimè regni hæredem odèrant, & per patrem, quia per se non poterant, circumuenire conabantur; eum Sintræ opprimere, quò tam fortè venerat, omni ope contendit: sed illum Elisabetha suam diligentiam liberauit, vel dicam veriùs, sanctitate. Conseruato iam & crepto imperat, vt regem obseruet & colat, eique tanquam domino sit in omnibus rebus obnoxius. Tum verò eius auctores consilij occultè fremere, amissam esse tam præclaram occasionem explendi otij vehementer indignari, plus vnus industriam

dustriã fœminæ ad salutem Alphonsi, quàm
 ad perniciẽ, omnium fraudes valuisse. Non
 est, nõ est, inquiunt, quod speres, rex poten-
 tissime, te, saluã & incolumi reginã, iustas
 as debitas pœnas à turbulento filio repetere
 posse; quamdiu illa regiam obtinebit digni-
 tatem, recedent ad nihilum omnes tui co-
 natus, quidquid fueris exorsus retexetur.
 Omni dignitate spoliata, vicis & castellis
 ereptis amandetur aliquò, vbi in custodia
 libera teneatur: sic & ius patrium & regiam
 auctoritatem retinebis, & integrum erit vbi
 voles ac liberum, supplicio iuuenilem au-
 daciam coërcere. Ardebat adhuc recenti
 dolore regis animus, probat consilium:
 Elisabetham Ierabricam relegat, quidquid
 nubenti datum erat, aufert, imperat, ne eo
 castello digrediatur, nève longius euage-
 tur. Illa non circumueniri se consiliis im-
 proborum vociferatur, non ad generum
 suum Ferdinandum regem, non ad Iaco-
 bum fratrem, qui tum Aragoniorum re-
 gnum obtinebat, se scripturam minitatur,
 non cunctatur, non tergiuersatur, non re-
 cusat: paret innocentissima regina subraiti
 regis imperio, quidquid habebat, meliore
 animo, quàm acceperat, remittit. Pera-
 grauit subito fama Lusitaniæ fines, reginam
 captæ similem, nudatam omnibus orna-
 mentis

mentis dignitatis, Ierabricæ custodiri: in-
 uadit mœror hominum mœres, veteres eius
 clientes, quique castellis præerant viri stre-
 nui atque impigri, hoc repentino tam in-
 dignæ calamitatis permoti nuntio, aduo-
 lant Ierabricam, adeunt Elisabetham mo-
 deratiùs multò quàm homines existima-
 bant, & quàm credi potest, hæc incom-
 moda ferentem. Ac principiò quidem vo-
 cem vis doloris & magnitudo supprime-
 bat: vbi sese confirmarunt, multò, in-
 quiunt, maluissemus, maxima & humanif-
 sima regina, florentibus rebus tuis, quàm
 afflictis & perditis, studium erga te fidem-
 que nostram declarare; sed quoniam res
 ita fert, dabimus operam, ne tibi vñquam
 in vllò certamine defuisse videamur. Non
 est ferendum inuidis homunculis esse ludi-
 brio tuam innocentiam, & plus apud re-
 gem quorundam fraudes, quàm sanctissima
 iura nuptiarum, & vxoris lectissimæ probi-
 tatem posse: non est ferendum, te quasi in
 carcerem & vincula, sic in hoc castellum
 detrusam esse, quam paulò ante dominam
 reginamque nostram prædicantes, in am-
 plissimo dignitatis gradu videbamus collo-
 catã. In animo est tuũ ius, quando aliter ob-
 tineri nõ potest, armis tueri: patent tibi vici,
 patent castella (tua enim semper appellabi-
 mus,

mus, quamdiu te viuam intuebimur) eò nobiscum vnà te recipe, iam faciemus intelligant aduersarij tui, non vni feminæ, quamuis nobilissimæ fuisse, sed viris & vniuersæ Lusitaniæ tantam ignominiam iniustam. Hic quid fuit Elisabethæ faciendum? Prætermittit debuit tam præclara retinendi iuris occasio? Venerat illa peregrè, reliquerat patriam & auita regna, propinuos & necessarios deseruerat, nupserat in amplissimâ familiam Lusitaniæ regum, vixerat cum rege coniunctissimè, fuerat incredibili modestia & patientia in grauissimis matrimonij iniuriis perferendis, nihil vnquam contra ius fasque fecerat, ne suspicio quidem vlla delicti perferebatur, tantùm patris gladios, si minus sceleratos ac nefarios, certè parum pios repulerat ab adolescentis filij ceruicibus, denique Rempubl. Lusitanam conseruarat. Quid enim, quid de te futurum fuisset, ô semper fœlix, proximis annis Ioannis auspiciis maximè florens, nunc eiusdem obitu morrens & afflicta Lusitania, nocte illa fausta vniuersis ciuitatibus, vni reginæ vt quidem homines opinantur, calamitosa, & funesta, reuera multò huic feliciore quàm cæteris, cum Dionysius interclusis itineribus, inflammatus animi dolore, septus copiis armatorum, Lameari profectus, inscia regi-

nâ, Sintram incredibili celeritate contēdit? si tumquod parabatur perfici vllō modo potuisset, quanto in squalore & sordibus iacuilles? quanto mœrore atque luctu fuissent omnia confecta? vna fortasse nox tibi tenebras attulisset sempiternas, nisi singularis Elisabethæ diligentia subuenisset. Ob hoc tantum beneficium collatum in omnem Lusitaniam amiserat omnia dignitatis ornamenta, iure illa repeti posse videbantur; aderant multi defensores, vltro se offerebant, eos ex animo loqui satis apparebat, potuit illa recusare potuit suorum orationem & preces repudiare? secuta est scilicet de nocte propugnatores suos, satellitum occultè comparata manu, contulit se in aliquod munitissimum castellum, vocauit populos ad arma, nisi quæ sibi fuissent per iniuriam erepta redderentur, ferro flammâ, vastitatem inferendam esse Lusitaniæ minata est: ô eximia mentis constantia! ô animi diuina tranquillitas! ô modus in omnibus rebus singularis! Non iniuriæ memoria refricata potuit accendi, non suorum studiis adduci, non verbis magnificis ad discordiam impelli, vt nihil mirandum esse videatur illam concordiae parentem, altricem amoris ac beneuolentiæ, pacis magistram, in quascumque terras delata

lata esset, tanquam serenitatem aliquam diuinitus demissam, omnes fluctus seditionum & tempestates compressisse. Grata mihi est, inquit, viri strenuissimi, vestra fides & beneuolentia: sed doleo vos opinione officij, tam grauius errare, me verò vehementer hic inclusam esse delectat, neque vnquam cuius susceperim disciplinam, obliuiscar. Christus seruator hominum tam multa dictu graua, perpeffu aspera tulit æquo animo, neque suppliciorum indignitatem questus est: nos homunculi nullius pretij ne tantulam quidem iniuriam perferemus. rex mihi quod dederat abstulit; & ego ablatum esse gaudeo, & ille si commodum videbitur, reddet quod ademit. Non illa sunt ornamenta mea, quæ vos putatis, nec rebus istis dignitas reginæ Christianæ continetur: alia sunt longè potiora, quæ an ego sim adepta, nescio, tamen certò scio, si quid consecuta sum, id nullis mihi viribus eripi, ne in summa quidem calamitate posse. Quare si beneficio regis antea vos eratis mihi dicto audientes, quam mihi semper eius voluntate fidem præstitistis, eandem nunc mea regi vestro præstate. mihi multò est fatius iniurias perferendo, quam vlciscendo propulsare, neque committam, vt innocentes multi

multi meâ cau sâ fortunis euertantur, ferro
trucidantur, omnia indigna patientur. Hæc
Elisabethæ patientia tanta, quæ gloriam
ipsi peperit immortalem, magnum ignaris
hominibus dolorem afferebat. Instare, vr-
gere, si bellum ipsa cum rege suscipere nol-
let, si rebus gerendis interesse grauaretur,
permitteret sibi gerendi potestatem; ita fu-
turum, vt citiùs in pristinum statum resti-
tueretur. Illa disertissimis verbis imperat,
ne quid nouarû rerum moliantur, ne quie-
tam statum Lusitaniæ perturbent, néve fa-
ciant de capiendis armis verbum vllum, &
acrius oratione castigatos dimittit. Inter-
eà omnes vndique sanctitate vitæ nobiles
mulieres Ierabricam conuocabat, summâ
cibi continentia viuebat, ad illum numerû
dierum, quibus è cibo abstinere solitam
esse diximus, plures hebdomadæ cuiusque
dies addebat, omne otium in contempla-
tione rerum diuinarum collocabat. O ex-
cellens & diuina vis patientiæ? ô præstan-
tissima dignitas & pulchritudo virtutis,
quæ nullis hominum fraudibus vinci, nul-
lis calumniarû tenebris obscurari & offun-
di potest, & vbi videtur esse obruta, robu-
stior emergit à mediis malis & pulchrior,
& admiratione sui flectit etiam obstinatas
hominum voluntates. Postquam Diony-

sius illam admirabilem æquitatem animi
 cognouit, incipit eum pœnitere facti, regi-
 nam illo tanquam exilio solutam Vlyssip-
 ponem ad se reuocari iubet, & in illis suis
 & superiorum reginarum sedibus versari.
 Sed illa plusquam ciuilibus dissensionis cala-
 mitosa pestis, magis in dies ac magis inua-
 lescebat. Rex Conimbricã obsidet, quæ iam
 tum erat in filij potestate, vastantur agri,
 multi cæduntur, oppidani rerum inopiã fa-
 tigantur. Quod simul atque Elisabethæ re-
 nunciatum est, Conimbricam magnis iti-
 neribus contendit, modò cum rege, modò
 eum filio de pace loquitur, impetrat vt ob-
 sidione relicta, Dionysius Leriam concedat,
 eodem Alphonsus veniat salutandi patris, &
 vidèdi gratiã, eumque dominum atque regẽ
 suum agnoscens, vectigalium tantum acci-
 piat, quantum ad tuendam principis digni-
 tatem satis esse videatur. Ille sedatã discor-
 diã, quidquid abstulerat, reginæ suã sponte
 restituit, miratus eam in huiusmodi rebus
 esse totam occupatam. Verùm non est pas-
 sus ille crudelissimus hostis humani gene-
 ris, hanc diutiùs seruari pacem, breuique na-
 ctus materiam dissensionis & segetem, tan-
 tum tumultum concitauit, quãtus antea nõ
 erat auditus: Alphonsus obnixè à patre pe-
 tere, vt sibi faceret Vlyssipponem eundi po-
 testa

restatem, Rex obstinatè denegare, crebri
 nunciij, crebræ literæ: Filius, vbi vidit ob-
 firmatum regis animum, Conimbrica pro-
 ficiscitur armatus, eo inuito se Vlyssipponē
 iturum, vociferatur. Fit obuiam venienti
 cum delecta iuuenum manu Dionysius ad
 Lauras, illi progredi conati, hi conantibus
 resistere, instruitur vtrimque acies: dimica-
 tur, pater ætate grauis in filium suos hor-
 tabatur; ex altera parte filius adolescentiæ
 viribus ferox in patrem cornua dirigebat;
 non erat recusandum, quin quâssata regna,
 quemcunque res tandem haberet exitum, &
 ornamenta multa pacis, & belli subsidia de-
 siderarent. Iam multi vulneribus confecti
 iacebant, iam nonnulli ceciderant exanima-
 ti: perfertur tãncipitis mali nuncius ad Eli-
 sabetham. Quid illa magnoperè facere po-
 tuit in tanto animorum ardore & armorū?
 fuit aliqua pacificandi ratio prius quàm Al-
 phonsus Conimbricâ proficisceretur: etiam
 alter locus vbi Alphonsum aduentare nun-
 ciatū est; nunc certè iam acie instructâ con-
 fertisque manibus, irritatis omnium animis
 cæde suorum, in medio furore pugnæ & ar-
 morum strepitu, quæ spes pacificationis, aut
 qui fœminæ locus esse potest? quidquid Mar-
 tis furor tulerit & ira victoriæ, id æquo ani-
 mo ferendum est. Itaque abiicit se ad fistū

vlulatúmque muliebrem, regiam clamoribus compleuit; & quando non licebat facere tanto malo medicinam, certè lachrymis funera suorum profecuta est: non erat tam paruo & angusto animo sanctissima regina multò maiora conceperat animo & cogitatione, non nisi res magnas & arduas meditabatur. Subitò mulam ornari iubet; aduolat ad pugnae locum eius aduentu non est pugnari desitum, nihilo seciùs lapides utrinque, spicula cæteraque missilia tela torquebantur: percussis metu cæteris & exterrito comitatu, sola neque clamorem militarem extimuit, neque telorum confertim volitantium ictus declinauit neque cætorum cadauera sanginémque è vulneribus manantem exhorruit: coniecit se in medias armorum acies diuinis freta præsiidiis, regem adit, inde ad filium accurrit, & cum nõdum abisteretur prælio, per infestos gladios & tela micãtia non desistit vltro citiòque cursare, Deum ac sanctos omnes contestans, fleus iratos obtestatur, deducit eorũ animos ad lenitatem & benevolentiam: Alphonsum ad patrem venire iubet, eius manus osculari supplicem, rex comiter accipit ferocẽ adulescentem, supplicanti omnia fausta & felicia precatur; discedunt eo loco pariter, summã hominum lætitia dies ille celebratur, quem

quem verè totius Lusitaniæ natalè appellare possumus: viuunt deinde coniunctissimè: nihil filio charius esse patre, nihil patri filio iucundius, neque vnquam Alphonsus in posterum à Dionysio dissensit. Quantam lucè prò sancte Deus, vnius sæminæ singularis & diuina virtus, tam breui potuit omnibus Lusitaniæ ciuitatibus afferre, vt qui modò temp. turbulentissimo conuulsam motu viderant, eandem repentè pace & concordia florentem intuerentur! Hi sunt patientiæ modestiæque fructus, hæc utilitas mansuetudinis & bonitatis, hæc magni animi & excelsi vis ad rerum publicarum statum conseruandum. Quos fluctus excitant cupiditates effrenatæ, hos animi temperati sedat moderatio: quæ furor & improbitas euertit hæc lenitas & boni mores erigunt: quas pestes ad terrena diuersoria, & huius vitæ sordes vilissimas abiecta mens importat, eas animus auertit ad illa cœli domicilia & æternitatis lucem excitatus. Quæ quo maiora mirabilioraque videntur, viri ornatissimi, hoc nos vehementius adniti decet, qui ciuitatibus vtilis & salutare esse cupimus, vt summi simus in omni genere virtutis atque perfecti. Non patriæ gloriâ, non maiorum factis, non opum potentiâ, non principum gratia, non studiis populorum

non externis vllis præfidiis, sapientibus & Christianis vitendum est: quantum à Deo virtutis erimus, quantum cælestium donorum consecuti; tantum in nobis opis erit ad calamitates reip. Christianæ subleuandas. Adhibeamus erga summum illius rectorem ac dominum, debitum illi præstantissimæ naturæ cultum ac reuerentiam: eius numen hominum scelere violatum, assiduis precibus placemus: in contéplatione rerum cælestiū peruoluetur tota mens: ad sacra mysteria studiosè simul & religiosè vèitemus, expiemus animū confessionibus crebris de peccatis: ab indulgentia corporis discedamus, frangamus appetitiones, modestiam & temperantiam colamus: quantò magis excellere videbimur, tantò nos submissiùs geramus; miseros & afflictos omni ope tueamur, experiamur omnes liberalitatem nostram & beneficentiam, eximio quodam amore genus vniuersum hominum & singulos amplectamur, in tollendis inimicitis, in reconcilianda gratia impigros nos & diligentes præbeamus: iniurias illatas æquo feramus animo: nullus labor, nulla nos rerum difficultas & asperitas, nullus incommodorum metus à studio virtutis Christianæ deterreat. sine his fallitur, atq; errat, qui sperat se mortalibus vtilem futuram: con-

trà, his adiumentis dici non potest, quàm accepti rerum molitori & effectori Deo, quam chari cœlestibus, quàm hominū generi, possimus esse fructuosi. Quid tandē est, quod ab hoc vitæ cursu nos aut reuocet, aut retardet? an adolescentia aut pueritia? at statim vt nata est, eum tenuit Elisabetha. An grauis ætas & affecta? at in eo, vsque ad extremam senectutem perseuerauit Elisabetha. An imbecillitatem naturæ pertimescimus? at quamuis femina molliter educata, non timuit Elisabetha. An dignitatem non decere nostram & grauitatem arbitramur? at nihil se dignius esse, quamuis regina iudicauit Elisabetha. An impedit multitudo negotiorum & tumultus, an iura matrimonij, an liberorum educatio, an rerum domesticarum cura? at ista vincula, & multò duriora, quam in vlllo nostrū esse possint, perrupit Elisabetha. Omnis dubitatio nobis est, Elisabethæ sanctitate, præcisa; nihil est cur recusemus nihil quod defidiā nostrā, si est vlla defendamus. Hanc intueamur animo, huius vestigia sequamur in omni vita, huius similitudinem quandam & effigiem moribus exprimere conemur: nihil ei gratius esse poterit & iucundius, quàm suæ virtutis æmulos habere quā plurimos: nihil magis probatū illi rerū conditori Deo, quàm

136 *Laudationis in B. Elisabetham*
sanctissimæ Regiæ diuina facta proposita
esse multis ad imitandum: nihil nobis salu-
tarius, quàm iisdem gradibus & vestigiis,
quibus illa singularis integritas in beato-
rum sedes ascendit, ad eandem illam vitam
felicem & æternam peruenire.

PETRI IOANNIS
PERPINIANI,

*Laudationis in B. Elisabetham Lusita-
niæ Reginam.*

LIBER II.

ORATIO IV.

TAndem aliquando, Rector amplissi-
me, virique ornatissimi, reddit anno
vertente, illa dies; mihi quidem propter
oneris huiusce magnitudinem, nonnihil
fortasse pertimescenda; vobis propter ora-
tionis nostræ ieiunitatem non vehementer
expectanda; omnibus verò propter gra-
tam B. Elisabethæ memoriam, admodum
iucunda. Sed nescio quo pacto factum est,
vt qui anno superiore sum vestram huma-
nitatem egregiam expertus, idem hoc ten-
tem